

(quamvis nec hæc excludenda sit) sed vel maxime etiam de *moralis* infectione heic sermo est, recte BENGELIUS per ὅλον το σωμα intelligit *corpus hominis cum toto suo temperamento*, imo *totam* ejus naturam, quippe quæ in homine sibi relicto & irrogenito, adeoque carnali, in omni sua actione a corpore potissimum pendet.

§. XII.

Και φλογίζεσα τον τροχον της γενεσεως,) 1) Post γενεσεως addunt ἡμων duo Codices, & interpres Latinus, Syrus, Arabs, Aethiops; sed, MILLIO iudice, explicationis gratia forte ad marginem annotatum, in aliquos codices dein irrepsit; Codex certe Lincolnensis adhuc in margine habet, & γενεσεως carere potest hoc pronomine, uti σωμα. 2) Pro γενεσεως Codices aliqui, teste OECUMENIO, habebant γεννης, quam & lectionem sequitur Scholiastes anonymus, a MILLIO citatus *ad h. l. & in Proll. §. 1044.* sed absque dubio sphalma hoc debetur alliterationi ad γεννης *in fine comm.* 3.) Crux interpretum est phrasis τροχος γενεσεως.

A) GROTIUS & HEINSIUS legendum

putant non τροχόν, cum accentu *gravi* in ultima, quod significat *rotam*, sed τρέχον cum *acuto* in prima, ut denotet *cursum* seu *curriculum*, & τρέχος γενεσεως, *curfus naturæ seu nativitatis*, (pro quo SIMPLICIVS in *Epictet.* p. 94. dixit κυκλος της γενεσεως) sit totus vitæ *curfus* a primo halitu ad extremum, qui agitur, spiritum, secundum illud Poëtæ:

Vixi, & quem dederat *cursum* fortuna peregi.

Adplaudit hisce CAR. LE CENE in *Tentam. novæ Verf. Gall.* & MICHAELIS in *NN. ad Bens.* p. 153. neque enim attendendum putant, quod omnes editi Codices accentum ponant in ultima, cum, ut GROTIUS ait, libri illorum temporum accentus non habuerint, sed postea quisque illos addiderit suo arbitratu; At hoc pharmaco ne opus quidem fuerit, si probari possit, & oxytonon τροχός & paroxytonon τρέχος veteribus in usu fuisse pro *curfu*; HESYCHIUS certe (quod quidem miror a nemine hæcenus observatum fuisse, etiam ex illis, quorum quam maxime intererat, voci τροχός notionem *curfus* vendicare) τῆ τροχῆ synonyma facit non modo περιβολαιον,

τειχος, ἢ κυκλος, sed etiam δρομος: hoc ipso tamen, quod δρομος ultimo loco ponit, forte subinnuens, hunc significatum præcedentibus rariorem esse; H. HEISENIUS autem (c. l. pag. 841. §. XXVIII.) plura uno ex HIPPOCRATE loca profert, ubi τροχός quidem & δρομος distinguuntur ut species & genus, (hoc quidem denotante *cursum in genere, illo autem cursum orbicularem*) at τροχός tamen æque *cursum* designat, ac δρομος. Nobis sic videtur: quamvis pro antiquitate accentuum græcorum non existimemus pugnandum esse tanquam pro aris & focus, & negari etiam fortasse nequeat, τροχόν, non de *rota* tantum, sed, significatu rariore, etiam de *cursum*, & quidem *circulari*, Veteribus adhibitum fuisse, receptæ tamen lectioni a) id cum maxime favet, quod α) vox τροχος neque cum acuto neque cum gravi accentu, aut Intt. Alexandrinis, aut Scriptoribus N. T. in usu est ad significandum *cursum*, sed vox δρομος, e. g. 2 Sam. XVIII, 27. Coh. IX, 11. Jer. VIII, 6. Act. XIII, 25. XX, 24. 2 Tim. IV, 7. cum e contrario τροχός semper ipsis significet *rotam* seu orbem, Ps. LXXVII, 19. Prov. XX, 26. Coh. XII, 5. Ezech. X, 2. ff. conf.

Syr. XXXVI, 5. &c. *τρόχος* autem plane nusquam occurrat. β) quod antiquissimi interpretes, LATINI & SYRVS, itemque ARABS, Vocem græcam apud JACOBVM acceperunt in significato *rotæ*, atque sic verterunt, consequenter, sive illa cum — sive absque accentu in Codicibus eorum scripta fuerit *τροχὸν* tamen, non *τρόχον*, eos legisse, certum est eosdem vero lectionem *τροχὸς* (*obscuriorem* & sensus reconditiore) lectioni *τρόχος* (*clariori*, *planiorique*) nisi de *illius* veritate aliunde ipsis constitisset, prælaturos fuisse, nullo modo verisimile est. b) Quum explicare volunt lectionis *τρόχος* patroni, quo sensu lingua dicatur *accendere totum vitæ cursum* a nativitate usque ad finem, aqua ipsis hæere videtur; Est, qui dicat, *accendere* idem esse, quod *concitatiorem facere*, & si quæras, quomodo id intelligat? respondet, hunc esse sensum: *Lingua sæpe alios excitari*, ut in sano studio mala adgrediantur; At num hoc est vitæ cursum concitatiorem facere, si lingua *alios* concitat ad male agendum? & num docet Apostolus h. l. quid lingua hominis in *aliis* efficiat? nec potius, quid in *unoquoque homine ipso*?